

prædicata proprie enunciantur & (3) ἰδιοποιήσεως, qva humane attributa de concreto divinæ naturæ enunciantur; In quibus singulis sollicitè cavendum, ne unquam naturæ separentur aut opponantur, quæ potius in personali unione, mysteriosa quadã communionẽ ac communicatione ubivis conjunguntur, & sibimet ipsis indivulso nexu præsto sunt.

§. VI.

Eodem modo ἀνεπίθετος ac sine fucò & fraude DE SECUNDO GENERE COMMUNICATIONIS IDIOMATUM defendendi docerique oportet, Quod in propositionibus hujus generis subjectum sit Persona Θεοῦ ἑνὸς καὶ τοῦ αὐτοῦ quoad utramque naturam, divinam, quidem, cui nihil tribui potest, & quæ omnia sua attributa essentialiter ac πρώτως possidet ac usurpat, humanam autem, cui hæc attributa, velut ἀυχήματα, propter unionem personalem indeque consequentem communionem atque communicationem, a divina natura communicantur, ut eadem aut possideat tantum, aut possideat simul ac usurpet; Prædicatum vero sint attributa divinæ naturæ, quæ humanæ naturæ, velut realissima ἀυχήματα, per & propter unionem personalem, vere ac realissime communicantur, ut δευτέρως de iisdem participet; Quod hæc attributa & ἀυχήματα humanæ naturæ per & propter unionem personalem communicata, ratione originis, tribuenda sint singulis Personis Sacrosanctæ Trinitatis, ratione vero termini, soli secundæ Personæ DEitatis, illique Naturæ, quæ personaliter cum carne unita, quæque sic per & propter illam intimam ac indissolubilem unionem, humanam naturam participem fecit omnium suorum attributorum, quoad possessionem, & eorum præcipue, quæ ad finem unionis requirebantur, & κοινώματα ac communicabilia propterea dici solent, non modo quoad possessionem, sed & ipsam usurpationem, in quantum id œconomia exinanitionis & exaltationis admisit;

K 2

Quod